

I.

…ectuum Dux.

Scrobiszevii Jacobi: Ad Magnanimum Heroem Ioannem de Zamoscio Regni Canc: ati ob victoriam Livonicam gratulatio.

AD MAGNANIMVM HEROEM, IOANNEM DE ZAMOSCIO, REGNI CANCELLARIVM, ET EXERCITVVM DVCEM supremum, Ob victoriam Liuonicam GRATVLATIO.

M. Jacobi Scrobisseuii, in Academia Cracouiensi Professoris.





CRACOVIÆ,
In officina Typographica LAZARI.
1603.

Venerabili et erudito Dno M. Alberto Borowio Collegae Minori


C. R. BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS

GRATVLATIO.



VLLVS EST ORDO & ſtatus regni huius inclyti, Ioannes Zamoſci, nulla pars huius primariæ vrbis, quæ & ſolio principis, & multarum rerum præſtantiſſimarum varietate, & dignitate nobilitata eſt, quæ vel effuſa obuiã tibi non gratuletur, vel priuatim nõ gaudeat: quòd victo & ſummoto etiam nunc hoſte potentiſſimo, arcibus & propugnaculis munitiſſimis receptis, Liuonia recreata, magna ſpe ad ſumma excitata, maximis exantlatis & ſuperatis difficultatibus, victor tandem ad Comitia Regni ſaluus & incolumis veneris. Nã cùm omnis virtus vbicunq; eſt, in animis hominum ſui excitet amores, ac propter ſuam præſtantiam, in omni ordine digna veneratione, & admiratione ſit; in iis tamen amabilior, admirabilior, & illuſtrior eſſe ſolet, quibus decus publicum curæ eſt, quiq; benè rem gerunt, bono publico, ſuaq; commoda poſt illius integritatem habent, &

cuius rei lubet periculum faciunt, dum quid patriæ ex eo incrementi & gloriæ accedat. Qui sit fueritq; semper tuus in Rēpub: animus, quæ in hanc merita, cùm tot & tam eximiæ à multis annis pro illa susceptæ contentiones declarent; tantæ, & tam illustres superiorum temporum res gestæ confirment; quæ ita eminent, vt priùs defessi sint homines laudando facta tua, quàm tu laude digna faciendo: tum hoc tempore præclarè in Liuonia nauata patriæ opera, ita temet cunctis visendum effecisti; vt non modò amplissimus senatus, non solùm strenui Equites; sed omnes cuiuscunq; conditionis & status homines, te, tuamq́; singularem virtutē, & eam, quę tibi diuinitùs, ad res benè gerendas, adiuncta est, felicitatem, suspiciant & prędicent: omnes victori aduentanti, & in hanc nobilissimam vrbem ingredienti, quasi vno ore gratulantur: omnes voluntatem, studia, & grati animi significationem declarare gestiunt. In hac communi omnium lætitia, altrix quoque ingeniorum, tibi, tuoq́ue illustrissimo nomini, semper de-

per deuotiſſima vrbis iſtius Academia, tua cauſa, vt debet, lætatur: tibi magnificè rebus geſtis aduentum gratulatur; immortalique Deo gratias agit meritò maximas, quòd vota pro victoria & ſalute tua ſuſcepta ſecundârit. Grauis hoſtis, nec indicta cauſa, nec iniuria laceſsitus vlla, in Liuoniam inuaſerat: alienam prouinciam miſerè vexabat: loca ſacra, profana habebat: ſacerdotes, vſque ad mortem multabat: exitium & internecionem minitans, in ipſis viſceribus Regni, nemine ſeſe opponēte, ſecurus hærebat: terror omnia implebat. Sed poſtquam te ſumma voluntate, & egregia animi alacritate, in hoſtem hunc ire certus percrebuit rumor; ſpem ſubitò omnes bonam concepimus, fore; vt Dei auxilio, tuaque virtute, aut opprimatur hoſtis, aut eius omnes motus, conatusq; prohibeantur: atque ea ſpe animati, ſuſcipiebamus vota, non minori alacritate, quàm omnium ordinum vndique effuſa multitudo illa, quæ votis, precibus, & laudibus proſecuta olim eſt Romanum exercitum, euntem contra Aſdrubalem,

Annibalis fratrem, celeberrimi nominis alterum post duodecimum calamitatis annum, in Italiam acceptum ducem. Magna profectò expectatione, magno fauore hominum hoc iter tuum celebratum est: audiebantur paſsim voces: I bone Imperator, i bone miles, præſidia Reipub. vindices religionis, & Regni, in veſtris, post Deum, armis dextrîsq́; noſtrum omnium ſalus, & decus repoſita: Deum precamur, vt vobis fauſtum iter, felix pugna, matura ex hoſtibus victoria ſit: damnemur votorum, quæ pro vobis ſuſcepimus; vt quemadmodum nunc ſoliciti votis vos proſequimur, ita poſt læti ouantibus victoria obuiam eamus. Atq; hæc quidē maxima & omniū communis ex tuo felici Cracouiam aduentu exultatio eſt, quoniam conceptæ ſpei reſpondit euentus, victus hoſtis, & fugatus, in magnam læticiam ex magno metu res vertit: victore exercitu, ſaluo Imperatore & reduce, omnes votis potiti ſunt. At illa quaſi propria ex tuo in hanc vrbem ingreſſu Academiæ lætitia oborta, quod cùm dignitas tua, quam

maximis

maximis in Rempub: meritis, præstantissimisq́; rebus gestis consecutus es, in excelso sit: in omnes partes Reipub: cogitationes mentis tuæ ita dirigis, vt nullam deseras: quod iis qui altiori, ac illustriori loco sunt cæteris, propositum esse debet: Academiam quoq; Cracouiensem, pro tuo illustri in virtutes & literas amore, nūquam ornare, tueri, & promouere destitisti. Celebratur omnium vocibus bellica virtus tua, ac illius per omnes gentes fama volitat, nec vlla vnquam obliuio auferet labores & pericula, quæ tu pro patria tolerasti, & repulisti Dei auxilio, & virtute tua: nullo æuo rerū à te domi militiæq́; gestarum gloria concidet. Quoties labantem rem patriæ in integrū restitueris, quoties à patriæ ceruicibus hostem summoueris, quoties ingentes hostium copias parua manu fuderis, pacem Regno, gloriam, & incrementum attuleris: non est ingenium, quod hæc verbis exæquare possit. tum hoc tempore, quantus cumulus accessit tuorum erga Rēpub: meritorum quis efferet? Bello Moldauico felicissimè

me confecto, vix ad respirandũ sumpto spatio, ardente iam in Liuonia bello, ingrauescẽte hac ætate, quæ plerisq; per se grauis esse solet, aduerso anni tempore, nouum celeriter bellum Imperator apparasti: procul ab domo, pro salute patriæ gerendũ duxisti: hyemem asperã in castris egisti, iuxtà hyeme atq; æstate te bella gerere, & vincere posse docuisti: aggeres & fossas ducendo, & alium oppugnandarum vrbium, & arcium apparatum promovendo, quantum exhaustum laboris? Neq; tamen aut hyemis asperitate, aut tædio arduæ oppugnationis victus; non dilatis auxiliis, non fame, non multis aduersis irritatus, occasionẽ rei benè gerendæ posuisti; sed instare, perseuerare, defungiq; cura pertinaciter perstitisti. hoste fugato, arcibus & propugnaculis munitionibus, & naturali situ inexpugnabilibus expugnatis, nõ priùs abscedendũ duxisti, quàm magnis cladibus multisq; calamitatibus afflictam Liuoniam releuares. Illustris hic tuus in patriam amor, factumq; præstãtissimum, perpetua vigebit memoria; sed & omnis

omnis ſimul admirabitur poſteritas cōſilia tua, à magno profecta ingenio (neq; enim paruum ingenium res tantas attigiſſet) quod quidem tu doctrina ita excoluiſti; vt multis periculis, magniſq; negotiis primus noſtris hominibus declaràris, ingenium bonis artibus inſtructū, in bello plurimùm poſſe. Habent enim hoc profectò bonæ artes, quod præter ſubſidia ac ornamenta, quæ pacem agitantibus præſtant, præter ea, quòd aliorum præclarè facta celebrent, & immortalitati conſecrent, rem quoque militarem, mirificè & ornant & adiuuant. Nam non tutò ei capita omnium & fortunas commiſeris; cui omnia alieno conſilio, & alienis oculis agenda ſunt. Quomodo enim oblata caſu ſine conſilio, in conſiliū vertet? quomodo ad incertos euentus hinc atq; hinc obliqua tranſferet vela, ſine multarum rerum vſu, aut peritia? quomodo benignitate, & clementia temperabit imperiū, qui duros mores non emollíuerit artibus? quomodo lætum ſpectabit exitum, fera mens? Magnum Imperatorem Roma

vidit C. Marium: in quo etiã ſpes & opes tempore ſuo poſuerat, quod & antè proſpexerat, & prædixerat, Numantiam obſidens pruden tiſsimus Imperator, & innocentiſsimus vir Sci pio: qui in cæna de ducibus oborto aliquand o ſermone, interroganti cuidam, quemnam i pſo defuncto ſimilem eſſet ducem populus Ro manus habiturus? Marij humerum leuiter percutiens, hunc fortaſſe, reſpondit. hic tamen magnorum virorum iudicio, quod nunquam Muſis & Gratiis ſacrificaſſet, in iram, ambitionẽ intempeſtiuam, cupiditatem immoderatã prolapſus, crudelitate ad extremũ, res à ſe bello paceq́; geſtas egregiè, cõtaminauit. Quare gaude tuo iſto tàm excellenti bono, Ioannes Zamoſci, & fruere cũ fortuna & gloria, tùm etiam natura & moribus tuis, Patriam, bonas literas, ſedes literarum, ac domicilia, tùm verò Academiam Cracouienſem, vt quidem facis, tuêre, & promoue. Hæc à magnis olim regibus condita, exiguo prouentu magnis libertatibus aucta, tanquam ſol venuſtè exoriens, non modò regno huic, ſed toti propemodum

modum Septemptrioni pulcherrimè & felicissimè illuxit. Longùm esset percensere, quot & quãti ex Gymnasio hoc prodierint viri, quã multi fortißimi, & cõstãtißimi Senatores, quàm innumeri elegãnter instituti & eruditi Equites, quã tus doctißimorũ & optimorũ virorũ ordo; qui vita præclarè acta, & literarũ monumentis, non modò domi profuerunt; sed exteris etiam Patriam nostram antè ignotam, cognitam, & illustrem reddiderunt. Illud præterire non possum, hac excitata, religionem Christianam demum hìc radicatam, barbariem fugatam, Regnum hoc ad eam elegantiam & amplitudinẽ, quam nunc videmus, traductum; ideò meritò principibus, & maximis quibusque viris, semper fuit charißima. Compertum quippè, omnia regna, ciuitates, nationes, vsque eò prosperum Imperium habuisse; dum apud eos vera consilia, benè constitutæ leges, atque optima studia valuerunt. Te igitur heros Illustrißime, decus & præsidium Patriæ, hostium terrorem, multarum gentium domitorem, pacis & tranquillitatis pu-

tis publicæ autorem, virtutum & bonarum literarum promotorem, Academia Cracouiensis, quæ & ipsa nunc ob tuum felicem in hanc vrbem, benè & magnificè rebus gestis, ingressum mirificè lætatur; & quæcunq; ages, vt ea tibi Reiq; pub: in omne tempus prosperè eueniant, precatur, orat, obsecratq;: vt quam in patrocinium suscepisti, semper tueare, gratissimæ facturus gratiam: quippe cui nulla res tam erit proposita, quàm vt quotidie vehementiùs te de illa optimè meritum esse lætere.



